

unde possunt mandare omnia. Certe si volent curiosi Bol-
lani, neque museum Britannicum, neque aliud quodque cum
ipsorum comparari queat.

Anne Leydæ occurrat collectio Piscium? in nulla parte
Historiæ naturalis major defectus. Si evolvas Valentyni In-
diam veterem Belgice, videbis quot ignotos Pisces alat mare
Indicum. Dolendum quod nullus eos studiose colligat et
describat.

Ne delasseris oro frequenter ad me scribere de iis quæ
vides; hæc me reficiunt, excitant et refocillant sub ingrave-
scentibus annis; si unquam queam reciprocis officiis inservire,
non intermittam.

Dab. Upsaliæ 1765 d. 2. Novembris.

a Monsieur Mons^r M. Th. Brunniche op te Langbroke
in't Mantelhuijs
frij br. Leyden

(4) Viro Clarissimo Upsal. 1766. Mart. 31.
D^{no} M. T. Brunnichio
Professori Haffniensi
s. pl. d.
Car. a Linné

Datas a Te literas V. C. d. 4 Martii accepi ejusdem
mensis d. 27. Ditissimæ erant hæ novis et curiosis observa-
tionibus; quantum itaque oblectamentum ex iis hausi, effari
vix possum; nec similes me legisse unquam memini.

Quod D. Pallas a me alienus sit, dudum intellexi; virum
tamen amabo, si multis illustret scientiam, præsertim in
Molluscis, ubi obscura sunt fere omnia.

Exspectavi frustra Tuum ad nos adventum in proximam
æstatem, certe a nullo majus oblectamentum hausissem.

D. Vosmaer musei Hagensis præfectum novi ex unica
epistola, in qua mihi describeret Lacertam anguinam, quod
præstitit adeo rude, ut ne rusticus pejus hoc faceret. Si